[...]us
[...]piscopus [...]ensis

Lubransciani Collegii: Viridarium virtutum candore, meritorum odore Patriae et Ecclesiae fragrantissimum.

VIRIDARIUM

Virtutum candore, Meritorum odore
Patriæ & Ecclesiæ
FRAGRANTISSIMUM.
Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus,
D. JOSEPHUS
COMES de WERBNO
PAWŁOWSKI,
DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ,
EPISCOPUS NIOCHENSIS,
ARCHIDIACONUS PSCEVENSIS, VICARIUS in Spiritualibus, & OFFICIALIS GENERALIS POSNANIENSIS, Lvovecensis, Stezycensis, Błotnicensis
PRÆPOSITUS.
Ad Solennem Consecrationis diem,
In Peraugusta Divi Petri & Pauli Principum Vineâ
REFLORESCENS,
Et è Voto
COLLEGII LUBRANSCIANI
DELINEATUM.
Annô quô
Lilium Convalium Flos Campi CHRISTUS apparuit in terris. Annô Domini 1748. Die 22. Septembris.

POSNANIÆ, Typis ACADEMICIS.

IN STEMMA *ILLUSTRISSIMI,* *&* *REVERENDISSIMI* PRÆSULIS.



I.

Implantant LECHO Paradiſum LILIA ſuavem,
Concedunt ævô candidiore frui.

II.

Firma Baſis *Lechici Regni* manet Iſta COLUMNA,
Hoſtes ad necem, miſſa SAGITTA ferit.

ILLUSTRISSIME
&
REVERENDISSIME
PRÆSUL.

R*Omanorum induimus naturã: hi etenim ob præclara in Rempublicam merita, virtutes & magnanimos actus, ſuis Herobus nectebant cidares, reddebant ſerta, & floribûs ſolum, pro Solio adornabant. Noſtra Pallas, de Academi Luco, in lucem publicam progrediens, Tibi meritorum Appiâ* PRÆSULEI *Capitolium aſcendenti* HONORIS, *in ſuis manibus manipulos geſtat, palmam devicti affectûs porrigit, & herbîs æternæ gratitudinis viam ſternit pro corona. Si ad Septembris ferias Floralia adaperit,* VIRIDARIUM *amœniſſimum, Quod Illuſtriſſimæ Domûs Tuœ diſtinxere* LILIA, *Gentilitiæ delineavere* HASTÆ, *pro Phrygia acu meritorum depinxit Candor, fragrantia replevit virtutum, prœſentat ad delicias.* VIRIDARIUM *Hoc Paradiſo conterminum Cœleſti, in Eo quotquot effecimus ſtationes tot Regnorum exce-*

pimus Statores, quot Violas tot Cœlicolas, quot LILIA, *tot Subsellia advertimus Dignitatum. Trajanum Plinius, Theodosium laudibus, celebravit Pacatus, nos etsi non Hortensios, Gallicanos in Tuis habes Elogiis, ignosce; plebeii erant Julliani flores ad Tua* LILIA REGES. *Minùs colorata si argues verba, Academicum exprimimus candorem. Lubransciana Pinus si aureos non præsentat fructus, thura devotæ submissionis (quod pro nobilioribus donariis suis Mæcenatibus solet) offert reverenter. Si non dedit Mercurium, in arcum sinuata Te elegit adorare. Verùm in his omnibus si defectum adinveneris, flos Te saltem æternæ gratitudinis, quem Tuo implantamus* VIRIDARIO *recreet, nos per Sceptriferã Matris nostræ juramus Crucem, quia eòusq; pro Tuis Cœlos sollicitabimus Successibus, quousq; in Auge Te Eminentissimi non venerabimur Honoris: signet Tibi Crux Præsulea tot Annorum Decades, quot Tibi optas, in odorẽ Tuorum* LILIORUM, *quos tantùm jusseris currant Honores, ita precatur*

PRÆSULEO Nomini Tuo
obligatissimum
Collegium Lubranscianum
Academiæ Posnániensis.

VIRIDARIUM
Ecclesiæ & Patriæ
FRAGRANTISSIMUM.

Ver esse perpetuum
nulla adhuc sub Plaga Astrologica observavit industria.
Non enim semper Arietes præsunt,
etiam gelida dominatur Ursa.
Non semper Majales,
etiam Decembrales experimur ferias:
dulces Favonios
acerbus subsequitur Boreas,
mites ethesias
furibundus perturbat Eurus.
Hinc
amittit Hybla decorem,
canæ hyemi
omnem Hymettus porrigit herbam,
Pæstanæ Rosæ invidos moriuntur ad Austros,

 vio-

violantur violæ.
Ipsi pensiles super auras Semiramidis horti
vel ideo;
quòd non extra secundam àëris fuere Regionem
nocivos sensere Aquilones.
Hesperidum Pomaria
quæ *ex auro ramos, ex auro poma ferebant*
licèt ad vigiles draconum excubias
hyberno tamen vastata tempore.
Non concessa hæc terris felicitas,
quæ Tuis Gentilitiis Floribus
PRÆSUL ILLUSTRISSIME:
Hi in æstate Honorum Privilegio æternitatis gaudent,
extra omnem Cœli positi inclementiam,
nesciunt aduri æstibùs,
decoqui frigoribûs;
temporum non subjacent differentiis,
siderum non alterantur influentiis,
omni tempore pulchriùs florent
quàm in Alcinoi narcissi viridariis.
Quinimo ver causant in autumno Lechico Orbi,
dum ad Pontificias reflorescunt Violas,
autumnum in vere
mirâ præsentant metamorphosi,
dum fructum parturiunt Honoris.
Probas hoc in effectu
NEO-PRÆSUL ILLUSTRISSIME,
qui hodie ad *Sancta Sanctorum* procedens
quot gressus numeras,
tot extra fabulam Persei producis Rosas;
sed

ſed quæ extra puncturam ſunt fatorum.
Inter ILLUSTRISSIMÆ DOMUS TUÆ LILIA
dum Agnus hodie paſcitur Cœleſtis,
etiam in Septembrali Libra verna tempora ſibi ponderat Orbis
in Tuo Sacro Ceromate
Oleô alitur lætitiæ.
Non ad vitæ tempora
Pontificalis Honor TIBI excrevit JOSEPHO,
Quem
VIRIDARIUM
Virtutum candore, Meritorum odore
FRAGRANTISSMUM,
Patria & Eccleſia
reverentiali fatetur cultu:
Cujus Areas ſi quis revolvere intendet,
ILLUSTRISSIMÆ DOMUS
PAWŁOWSCIANÆ
Lineamenta habebit.
Domus hæc ab Antiquo tot *Proceribûs* Clariſſimá,
quot de WERBNO *COMITIBUS;*
dedit Majeſtatibus JOVES,
Tentoriis MARTES,
Senatui CONSOS,
Eccleſiæ ANTISTITES,
Cœlo INDIGETES.
Principes adhuc Roſæ in Polono creſcebant ſolo,
& jam in Solio ſub *Clodovæo Rege*
non tantùm florum, ſed & populorum Reges adorabantur LILIA:

ex lacte Junonis si hæc floruisse dicam,
lactea eis ad Honoris Empyreum via.

Et certè

ubicunque hæc florebant LILIA,
ver ibi amænius erat.
Nec aliunde *Galliæ* (ubi eorũ imus apparuit decor) adeo placuerunt,
ut illa Majestati & sibi in perpetuum elegerint decus,

nisi quod ad illa

cuncta illis erant *quasi in diebus vernis.*
Properavit in horum odorem *Germania, Italia, Florentia, Silesia,*
dum ea in proprium curavit transplantare solum;
& illico eis tulerunt *læti tempora veris.*
Abiere post Gentium & Populorum in Coronas,
in quibus & modernô sæculô

videre est

BOHEMIÆ VICE-REGES.

Apparuerunt tandem in nostra terra hi FLORES
dum cum MICHAELE COMITE de *Werbno*
Sarmaticis sua exordia dederunt oris,
ut candido associata Aliti
majorem unitæ virtutis Patriæ pollicerentur candorẽ.
Statim ab initio obligatissima vobis fuerat Lechia,
Magni de *Werbno* COMITES,
cui Luminare majus Sanctitatis radians splendoribûs

Hedvigen Reginam

per MICHAELIS *Filium* introduxistis.
Taceant Taciti Scipiones, Fabios deprædicare Camillos,
de *Werbno* COMITES cunctis præripuere palmam;
Qui dum ad limites Patriæ
heroica pectora tanquam Herculeũ non plus ultra opposuerũt hosti
Columnam, Gentilitiis adjunxere LILIIS;
mox labentis Patriæ futuri columina.

Re-

Resplenduit hujus veritatis documentū ad *Choyniciam* ubi *Principem Zeganensem* in Martis acie profligavit JOANNES COMES de *Werbno.*

Exulta ergo tanto munere Polonia!
florebis fatis ad invidiam,
dum Tibi COMITES de *Werbno*

PAWŁOWSCII

dant manibûs lilia plenis.

Deberem hic totum ab Antiquo recensere Senatum,
Deberem, quot PAWŁOWSCIORUM Nomina,
tot *Numina* sæculorum exponere cultui,
ni plusquàm Diogenis excessus foret,
Te lucente Sole
funereas mortuorum accendere faces,
ni loquerentur annales,
Tuæ Consangvinitatis Arborem
Thronis & Majestatibus in Columen abiisse,
Pervetustæ Domûs LILIA
Patriam in æstu fulcisse malorum,
ex ILLUSTRISSIMÆ PROSAPIÆ Lineis
totius Orbis Europei constitisse peripheriam.
Tenerem inde

PAWŁOWSCIOS

quasdam Orbis esse Animas,
quibus ex officio incumbit,
per Regna & Provincias
membratim se se suo communicare corpori.
Magnum est ex Magnis nasci;
& illam Originem sui habere, quæ parvitatem non noscit,

prope Divinum.
Ipsa enim Parens rerum Natura,
ex parvis principiis compositum,
ex atomis continuum esse voluit.
Tuum Illustrissimi Sangvinis Rubiconem
PRÆSUL SACERRIME
& ab ipsa Origine *non licuit parvũ videre;*
Gentilitia LILIA
& in flore adorabantur Reges.
DOMUS hæc *Berecynthia* est,
quæ Deos terrestres
hoc est Viros ad Fastigia, Sceptra, Clavas, Scipiones,
educare suevit.
Requiris Hos?
Fastos aperi, quàmvis & illos meritorum multitudine excedant,
Verùm ignoscite beati *Manes.*
Magni COMITES PAWŁOWSCII:
pagella hæc Vobis laudes non panget,
ne nimis præsumere videatur; amplitudinem Vestram coarctando,
adorabit tamen
ne religionis arguatur.
Flectimus imprimis genua coram COMITE de *Werbno*
NICOLAO PAWŁOWSKI AVO TUO
PRÆSUL ILLUSTRISSIME,
In Cujus cultum etiam feræ cecidere Gentes:
Othomanica Luna demissis cornibûs,
Russorum Aquilæ exarmatæ fulminibûs,
Septemtrionis Leones prostrati corpore
pro calcaneo suo Victori fuere. (a) (b)
Hic Virorum *Phænix*, ob raro practicatas in terris dotes,
ob

(a) *Stárowolski in Monu:* (b) *Biel: fol: 403.*

ob Herculeam Dexteritatem, fortitudinis *Prototypus*,
ob summam in rebus peritiam, animi elegantis *Medulla*,
aurô gemmisq; notandus,
ni infra Ejus pretium forent;
tantum profuit Lechiæ,
quantum *Pericles* Epirotarum Regi,
ACHILLES Græciæ.
Quoties invidus surrexerat homo ut *seminaret zizania*
ore & gladiô potens
Scapham à Scapha, lintrem à lintre sejunxit,
silicernia non immiscuit liliis,
ut commodiùs in Polona Campania
ad *Avitos* Ejus FLORES vernaret fortuna.
In Cygnea ætate candore erga Patriam conspicuus,
in Cujus heroicis venis
& ad vitæ tempora generosus ferbuit sangvis,
quem pro nativa fundere Troja
imperteritus non recusabat Achilles.
Ex effusis plenô alveô pro Aris & Focis sudoribus
coaluerunt Ei ad æternitatis gemmæ coronam,
quam dum ad instantiā Annorū meritorumq; acceleraverit recipere,
mæstam ex sua præsentia reliquit Poloniam,
& nunquam hæc suos solaretur singultus,
ni Ei *octoaginta octo* Annorum NESTOR
meritissimus de Nativo Solo ANCHISES,
dulcem ÆNEAM & PATREM Patriæ reliquerit
ILLUSTRISSIMUM ADAMUM CASIMIRUM
de Werbno
PAWŁOWSKI,
Castellanum Biechoviensem,
& Tuum ILLUSTRISSIME DOMINE
PARENTEM.

In Sago EPAMINONDAS
in Toga FABIUS
SENATOR ILLUSTRISSIMUS;
in consiliis Tripodem,
in prospiciendo Publico Bono Argum,
in supportando Patritium Cœlum
Succollatorem Herculem se demonstravit.
Non omnibus datum,
luscinias & dulces ore promere favos.
Sed videre erat Hunc SENATOREM.
Hyblam gestare in labiis,
quâ amaras res Samatiæ dulcorabat,
Hymettum proferre in verbis,
in quo Polonæ libertatis conservabat florem.
Lechicus certè erat *Hortensius*,
loquebatur rosas
quæ Patriæ medelam, murmurantibus adversùs eam scarabæis
tribuebant venenum,
Ad Gentilitia LILIA alter Gallicanus *Hercules*
dictionum funibûs castigabat infortunia,
sub Cujus Unius disciplina
Polona meliùs sapere didicit Fortuna,
quàm sub millenis malorum plagis,
Ejus Ingeniô cùm nihil æstimabilius
Ore floridius,
Dexterâ pretiosius,
Academicus cerneret Apollo,
exclamavit cum jubilo!
totum Orbem pridem in Athenas abiisse,
si tales Discipulos haberent Magistri.

A

A ſella Scholaſtica ad Senatorias proceſſit Curules,
& alter in Honorum Empyreo Jupiter,
in cuncta influebat ſublunaria,
cenſens *hoc eſſe ingenitum Magnis Sideribus*
ut aliquod illuminent corpus
Tres eſſe Pòétæ fingunt Gratias,
ab hoc *Gratiano* innumeræ proceſſerunt.
Computum in ſua Liberalitate non novit,
ſi tantùmmodò adverſæ ſortis apparuit nubes,
æris auriq; ſonitu diſpellebat.

Pluſquam Cedrô

in noſtra Lubranſciana Pinu
Ejus exarata cernuntur beneficia,
quam ſuæ Munificentiæ irrigavit Pactolô,
ne ad æſtus areſceret malorum.

Unde

quot quot de illa efformabuntur Mercurii,
omnes erunt præcones favorum
ILLUSTRISSIMI CASTELLANI,
quot quot ingeniorum naſcentur Phœnices,
omnes gratioſum Ejus promulgabunt Nomen,
quot quot ſcientifici excreſcent flores,
omnes coronabunt quem hauſerunt Fontem,

Obiiciam anteactis ſæculis:

Non ſic Sapientia in *Lælio*, frugalitas in Piſone, pietas in *Metello*,
Æquitas in Lycurgo, affabilitas in *Trajano*, velut in Illo relucebat;
ſæculîs opus eſt, ut ejuſmodi Phænices naſcantur.

Requievit Hic in Patria,

poſt magnos in via, de Eccleſia & Republica labores,

deſiit vivere Mundo,

Qui perennat in animis;

Cujus Cedrô notanda geſta

revolvet recens ætas,
loquentur Basilicæ Lvovecensis Parietes
quam Mystìs cum suo ornavit Præside,
deprædicabit tota cum Civitate Ditio,
in qua Religiosam propagavit Fidē,
revocabit in dulcem memoriam Major Polonia,
quam rectefactîs illustravit.
Venerabitur suum Benefactorem
Posnaniensis Academia,
ad Cujus Gentilitia LILIA
lactea duxit momenta.
Attigi *Paterni* TUI *Sangvinis* amplitudinem
verùm hanc minimè ambire potui;
quid supponendum? si Materna adhuc addidero Decora.
Vilescit styli apparatus,
imo tota Eloquentiæ evanescit venustas,
& ipsa Panegyris
quàmvis mari Erythreo inundaret,
dignè adhuc Tuas non influeret manus.
ILLUSTRISSIMÆ equidem ac EXCELLENTISSIMÆ
FRANCISCÆ de Trąpczynsciis
In *Avitis* DRIÆ gemmis pretium
illam suo inæstimabili confunderet valore.
Satis fuerit aliis ad Gloriam unâ excellere Dote,
DIANNA ob pulchritudinem,
ARTEMISIA ob dexteritatem,
commendata sæculis;
FRANCISCÆ
etiam millenis parum!
Quæ si in antiqua incidisset tempora
Pandora vel ab ipso Jove crederetur.

Imo

Imo
tot Titulis veteres superavit Deas,
quot gloriosior vivit in Nepotibus.
Loquor ILLUSTRISSIMOS ac EXCELLENTISSIMOS DOMINOS
DD. MATHIAM & MICHAELEM
COMITES de *Werbno*
PAWŁOWSCIOS
Tuos ILLUSTRISSIME PRÆSUL
Fratres Germanos,
ex quibus licet supra MATHIAM:
implacabilis Lachesis sors cecidit,
super Cujus Nomen jam prius Sors juraverat fortunæ,
Ejus tamen immortalis Gloriæ fama
& inter urnarum clarè sonat conticinia.
Transplantata sunt in Eliseos Campos LILIA
sed non ex alio motivo
nisi ut ex ipsis æternitati fiat corona.
Placuit certè Hortulano Illi,
Cujus Omnipotentiâ pulcherrimum hoc Mundi Viridarium stetit,
in hoc Palmite ranata Avorum Atavorumq; Majestas,
unde ne ventis succumberet certantibus,
in tranquillam transfertur sedem.
Placuisti Superis ô innocens Anima!
sed quoniam nostrum amorem necdum satiaveras,
nondum etiam Cœlo debebaris,
cum qua si æternam habet lætitiam,
saltem nobis concederet momentaneam.
Sed divisit immortalitatẽ gestorũ in suum Castorem
Germanum Fratrem MICHAELEM
Hic Pollux
Angelicam mentem præsetulit MICHAEL

innocentiam vitæ ſuæ ſervavit
acſi congenitam haberet.
Apparuit quondam Leſconi Nigro MICHAEL
& vicit Jazygos,
Hic quòcunq; ſe convertit,
uti *Michaëlis fuit apparitio*;
ita & victoriæ certitudo.
Triumphavit ſub hoc Ariſtide innocentia,
etenim
Ad Tribunal Regni
è voto Palatinatûs Poſnanienſis
JUDEX DEPUTATUS
quid quid loquebatur lex erat,
quid quid ore promebat juſtitiæ dogma,
quid quid dicebat ſententia.
Nulli meliùs
Sacra Themis ſuam bilancem concredere potuit,
quàm MICHAELI;
Qui cum in Libra juſtitiæ Solem egiſſet,
exoriebatur cum Gratiis.
Æquiſſimus Judex fuerat:
ſi quando
Eo Præſide *Juſtitia de Cœlo proſpexit.*
Sorte Beatorum in vita donatus eſſe
inde probatur
MICHAEL,
quòd corrumpi non potuit;
hæc tamen de ipſo erat querela
quòd

quòd perpetuus, vel continuus ſaltem Judex non fuit
Qui fuerat incorruptus.
In Provincialibus Majoris Poloniæ Comitiis
Nobilium Palatinatuum
Poſnanienſis & Caliſſienſis
MARESCHALCUS,
fecit in manibus ſuis refloreſcere Scipionem
hoc veluti ſuo Tridente
alter Neptunus diſſenſionum compeſcuit procellas.
Magis tamen hanc magnarũ Dotum encyclopædiam
gratioſa Superum ampliavit Diſpoſitio,
dum GENTILITIIS Ejus LILIIS
Avitas in ILLUSTRISSIMA DOMINA
D. MARIANNA de GOSTSCIIS
copulavit Roſas
Digna Priamô Helena,
Æmilia Affricanô, Sulpitia Lentulô,
vicit Livias, Portias, Cornelias,
in quam diviſa alibi animi corporisq; donâ
Cœli compendiavit favor.
Quid plus addendum huic Phæbe?
non Purpuram!
quia eam à Magno Statore Patriæ
CASTELLANO CZERNIECHOVIENSI
cum Paternis traxit Decoribus,
non Lumen!
quiâ Nativo GOSTSCIORUM luxit ſplendore,
quinimo veluti Illuſtriſſimo Phæbo
ſociata PAWŁOWSCIO
nunquam viſa in ecclypſi.

Breve est quod dixi,
videre plus est in *Illustrissima Domina*
D. ELISABETHA BIELINSKA
CASTELLANA LANDENSI,
Tua ILLUSTRISSIME ANTISTES
Sorore Germana.
In normam Mundo muliebri
abiit ELISABETH,
in Qua omnia mascula, præter sexum;
oculos authoritas, frontem tenet Majestas;
& quanta sit Mulierum?
ipsa manifestat loquela,
ubi cum verbis eruditos sales,
cum salibus dulcedinem miscet;
illa prisci sæculi Heroinarum æquans miracula,
imo pietate cordis, morum elegantiâ, in egenos munificentiâ,
pari in omnes affabilitate longè superans.
Aurum pro sæpia, adamantem pro calamo
etsi sumerem,
non tamen pro Magnitudine dici scribiq; posset;
Cujus pretium
vel de ultimis finibus terræ.
Sed habes non postremam Panegyrim
ex MARIANNA FRANCISCI WALKNOWSCII,
AGATHA GASPARI MODLIBOWSCII
Castellani Medzyrzycensis CONSORTIBUS,
& Tuis Illustrissima CASTELLANA Filiabus:
tantumq; ab Eis derivas Decoris,
quantum flumina à grandioribus fontibus,
flores à Regina Rosa,

concha

conchæ ab enutritis gemmis.
In cassum superbit ex forma suæ Dominæ Ida,
cùm Illæ *Ideæ*, an potius *Deæ* pulchritudinis existant:
vel hôc ipsô supergressæ universas,
quòd non tantùm rosas in genis, mel in lingva, lilia in vultu,
ebur in mente, in labris præferant corallia,
sed & Vestales in pectore foveant flammas,
quibûs Ethnam in se Divini excitent amoris.
Liceat gloriari Romanæ Juniæ
Magnorum Titulis esse insignitam Avorum,
Catone Avunculo genitam,
Marci Bruti & Cai Sororem,
Cassiiq́ Sociam vitæ.
Major longe gloria ELISABETHÆ & AGATHÆ,
PAWŁOWSCIOS habuisse AVOS,
ad Quorum Liliaceam albedinem
Patritia Earum Luna
nunquàm non potest Orbi Polono serenare,
Pretiosior abhinc est
in Bielinsciana CRUX Cynthia,
cùm ei MODLIBOWSCIORUM ad valorem
accesserint Adamantes;
quibûs ô quàm pulchrè splendescunt Curules!
Consultantium de Bono Publico ditescunt Ordines,
Regni appretiatur Thesaurus.
Si cujus *aurum optimum Caput*
Saturnia causat Patriæ tempora
MODLIBOWSCIORUM Adamantes
meliorî ævum signabunt lapillô.
Agnoscit Patia Eundem
In Toga pro salute publica certantem,

In Purpura non coloratum Consultorem,
In Senatoria Curuli non otiosum,
ad salvandam Rempublicam Sedentiarium,
Nos Maximis parem veneramur.
Quid armatus WALKNOWSCIORUM Wierusza?
expugnabit quæquæ adversa,
in Cujus Avitam Tabulam,
jam *sors & virtus coiverunt in unum.*
Vescatur rubentibûs Aurora rosîs
ut rubicundior appareat:
Gentilitia GARCZYNSCIORUM Luna
cùm per FRANCISCUM GARCZYNSKI
Dapiferum Calissiensem,
in NEPOMUCENA MATHIÆ olim PAWŁOWSKI
FILIA se se coronavit Liliîs,
Latonia pulchrior eminet Virgine,
Cui ut à Liliis cãdor, ita & Liliis ab illa venit venustas:
Aris etiam PAWŁOWSCIANÆ Domus LILIA
parturiunt decorem
Quæ in AGNETE & CAROLINA de *Comitibus* PAWŁOWIIS
Sanctimonialibus Monasterii Trebnicensis
Tuis ILLUSTRISSIME DOMINE
Germanis Sororibus
Virtutũ odore, Sanctitatis candore, vigent florẽtissimè.
Harum omnium Perfectionum
quas in præmissis Domus Tuæ Elogiis habes,
compendium es
ILLUSTRISSIME NEO-PRÆSUL
Non ex Levi tribu prodiisti magne Aaron,
de

de alto Sangvinis Mari
Præſulum enatâſti Unio,
non tantùm *Piſcatoris Annulo*, ſed & *Coronæ Regni* dignus inſeri,
ſed ſilendum nobis eſt,
poſtquàm aperto quaſi ore Oratorem agit Infula,
grates Superis canens
quòd Tuum meritiſſimum ambierit Caput.
Honor etenim Honori,
ſi nobiliſſimo inhæreat ſubjecto,
ſplendor Titulis,
ſi Lucios, non gobiales Gabinios ambiant.
Tiaræ hanc exambiunt frontem,
quæ altis Lineîs rugoſa;
Purpureus Color craſſiorem lanam refugit,
molliorem repentè imbibit;
generoſæ Aquilæ in alto montium nidificant,
Principes Mitræ requirunt Julios,
Imperatorum Faſces poſcunt Catones
Hinc applaudit felicitati ſuæ
NIOCHENSIS DIÆCESIS
quod Te Tantum nacta ſit ANTISTITEM,
cum hac Polonarum Diœceſum injuria,
quia prius.
Magnus es novo accedente Titulô PRÆSUL
ſed non alius,
nihil peregrini cum peregrino Honore induens,
præter habitum.
Epiſcopales Vittas Tua Tibi porrexit Virtus,
ad Tiaræ Pontificalis Sacrarium
ad quod meritîs viam effeciſti Appiam,

præiverunt Antecessorum merita:
Illustrissimus olim, & Reverendissimus
CHRISTOPHORUS *Comes de Werbno* PAWŁOWSKI,
CORONOVIENSIS ABBAS,
totius Sacri Ordinis Cisterciensium
GENERALIS PROCURATOR,
& per Italiam COMMISSARIUS,
BOGUMILI Corona PATRIS *Filius*,
Tuus verò *Patruelis* FRATER
NEO-PRÆSUL,
Abbatiali Baculô Antesignanum egit,
dumq; mortalitatis suæ exuvias
in Septicolli deposuit Urbe,
voluit ex *Apostolica* PETRI *provisione*
Tibi providere Tiaras,
& Annulô Piscatoris
ad Primos Honores roborare Privilegium.
Ex Avia Tuá Illustrissima THERESSIA TARNOWSKA,
Succameraride Sochaczeviensi,
quot quot sunt ab omni ævo TARNOVII
occurrunt hodie,
de quibus Illustrissimus JOANNES TARNOVIUS
LEOPOLIENSIS ARCHI-PRÆSUL,
& per *Tarnovios* Sangvine conjunctissimus
Illustrissimus CONSTANTINUS MOSZYNSKI,
ANTISTES LIVONIÆ,
Infulas Tibi offerunt:
& ex *Avita* sua *Rola*
omnem reddunt Gloriæ messem.
In Proavia Materna RADOMICCIA

ad

ad theatrum hodierni applausûs
Kotficianus panditur Tibi *Campus*,
de quo si ad moderna fructum quæsieris tempora?
habebis in *Austriacæ Domûs* DINASTIS
Purpurarum manipulos,
leges in innumeris *Sarmatiæ* PROCERIBUS
Fascium fasciculos;
& licèt hic cùm ipsis placuisset Superis
in Eliseum abiit,
reliquit tamen tot inæstimabilia Clenodia,
quot CZARNKOWSCIORUM, OSSOWSCIORUM, OPALENSCIORUM, SAPIEHARUM, KOZMINSCIORUM, GRABSCIORUM, ZAKRZEWSCIORUM, MYCIELSCIORUM, POTOCCIORUM, BRANICCIORUM, MIEROSŁAWSCIORUM,
aliaq́; proxima juncta Cognatione
Senatoria Orbis Poloni Nomina.
In Avia Tua NIEGOLEWSCIA,
velut Pharos *Niegolewsciana Turris*
triumphales accendit ignes,
Grzymalii Porta valvîs patet ad Majora apertîs.
Concomitantur Te cum suis Decoribus
RYDZINSCII, TRĄBCZYNSCII, TARNOWSCII, BIELINSCII, GOSTCII, MODLIBOWSCII, WALKNOWSCII, GARCZYNSCII, OPALENSCII, CIELECCII, PIEGŁOWSCII, LESZCZYNII, PONINSCII, SZOŁDRSCII, DZIAŁYNSCII, SIERAKOWSCII, STADNICCII, GRZYMUŁTOWSCII, TARŁONES, ZALECCII, SWIĘCICCII, KORYCINSCII, DĄBSCII, SZEMBECCII, RACZYNSCII, MIELZYNSCII,
Aliiq; & Cœlo, & Tibi Vicini
PRÆSUL ILLUSTRISSIME.
Tantîs sunt Nominibûs Tui inscripti FLORES,
quorum bonus odor universam replevit terram.
In Tua ILLUSTRISSIMA DOMO
ipsi tantummodo Soles

vel Primæ Magnitudinis hoſpitantur Sidera,
ut Sole clarior appareat veritas,
quid quid in Orbe Summum
& PAWŁOWSCIANUM ſimul eſſe.
Narravi hæc, ut demonſtrarem
quomodo per tot Anteceſſorũ Exẽplaria laboravit Natura,
ut Te omnium ſiſtemma exhiberet perfectiſſimũ.
Nec vano omine;
Revolvat quis primam Annorum Tuorum faſciam!
& ulterioris ævi habebit menſuram.
Prodit ſe nempe in tenello ſubjecto virtus
qualis in adulto ſperanda;
generoſi pectoris igniculi
intra cancellos puſionis corpuſculi
non patiuntur teneri,
quos vel in ipſo primordio novimus emicare in apertũ.
Ver Tuæ ætatis Autumnus erat
Cujus intaminatum juventutis florem
Virtutum Candor, morum fragrantia,
auguſta frontis liliatæ area
dein fructum Honoris meritorumq; laturi VIRIDARII
certum eſſe indicium demonſtravit.
More ſurgentis de ſinu auroræ Phæbi
dediſti in ortu futuræ lucis documenta
ANTISTES ILLUSTRISSIME,
docuiſtiq; magnã Indolẽ puerilibus adhuc noſci in cunis.
Parvitas aliis pravitas eſt,
& plerique adoleſcentiæ in lubrico
ſi non cadunt titubant.
Infantia Tui ILLUSTRISSIME PRÆSUL
matura probitate adoleverat,

ut

ut congenitam virtutem cum natura,
& naturam cum virtute credaris habuisse
Non oracula Apollinis quis Puer esses
necessum erat;
vix etenim in campo stetisti Literario
illico copiosa scientiæ messe
mentis Tuæ horrea implevisti;
summa velocitate pollendo ingenii
vix docta ingressus Olympia
æquabas hoc in cursu Celerinos
de pari cum Hippomene decertabas.
Gentilitia Tua LILIA
Craciæ Pæsto implantata Minervæ
sic explicare fecisti
ut sola fecissent Hymettum
ni etiam Pontificiis Violis
singulariorem aream reservâsses.
Sublime Ingenium, etiam Censorinis negatum
Sapientiæ Acrocorynthũ, Athenarũ Cecropiô majorẽ,
politioris doctrinæ medullam, non concessam Iliadi
Lubranus cernens in Te Apollo,
bifidi in Tui cultum inflexit culmina Pindi.
Jagiellonica Sceptra
quibus tandem ad pretium accessisti,
nihil pretiosius Te unicâ judicârunt Gemmâ;
Quinimo
exultat nunc sub sua Cruce Universitas Mater,
quòd Te suum habuerit Filium,
Quem non tantùm Sui, sed & suæ hìc Filiæ
Patrem ac singulariorem Protectorem veneratur.

Multi ſapiunt ad ſpeciem, & famæ tinnitum ſatis

propriâ cryſi Elephantes

aliena nec muſcæ

Tua virtus bombycum imitata indolem

ſub velamine modeſti ſenſus

operabatur pretioſa.

Tu Scientiarum Clavi

doctorum Arcana reſerâſti Virorum,

in Philoſophico Eurippo uniones legiſti,

eas ad mentis archivum comportando.

Ad Craciæ Themidis gladiũ ſuæ mentis acuens aciem:

nullus in Jure extabat Titulus

quem ſcire Honori Tuo non duxeris,

nulla lex

quam non ſervaveris diligentiſſimus,

nullus Paragraphus

quem Aſtreæ enſe Tuæ non imprimeres menti,

nullum Capitulum

quod Tuo non inhæſerit Capiti,

nullus Proceſſus

quem non decurreres

de Codice

futurus Ariſtides cepiſti non modicè,

in Digeſſtis

Tua cernuntur geſta,

Inter Canones Virtutum Canon.

Phæbeum tandem ingenii lumen

fugatîs ignorantiæ tenebrîs

illam

illam cordi Tuo indidit flammam
quâ totus ad Cæleſtia, totus ad Lumen Luminum ferebaris
Primam Cauſam
ſublimî attigiſti ingeniô,
Sacræ Theologiæ ingreſſus Conclave
quidquid de DEO *Scotus* ſubtile,
Aquinas profundum,
Auguſtinus inacceſſum ſunt locuti voluminibus,
Tu omnia comprehendiſti feliciter,
& necdum mortalitatis prætergreſſus limites
mente verſabaris in Patria:
quinimo more Sideris
lucem tantummodo Tuæ præſentiæ concedebas terris,
integer Cœlo affixus manendo,
TotamSummam ad animi tranſtuliſti theſaurum,
Thomiſticus Phæbus in Tuæ mentis Diaphano
ſcientifici luminis effecit aggregatum.
Pluſquam Angelicū crediderisses Ingenium
cui nullum in ſcientiisArcanum, eratArcanum.
Hinc poſt expeditam in Theologico Mari naumachiā,
Doctoralem recipis Lauream,
ut ſciant univerſi,
Etiam Cœleſtis Paradiſi Thymiamate
GENTILITIA Tua LILIA redolere.
Jam tunc Doctorales Annuli
præluſerunt Pontificiis,
virentes Laureæ Violis,
Purpuris Togæ.
Jam tunc Divinū Tuū Ingeniū, Aræ expoſcebant Honorū,
Sapientiæ gemmas, Præſuleæ invitabant Cruces,
Lumina Mentis, Titulorum Splendores exigebant

GENTILITIA LILIA
Lacteam Tibi ad Honoris Empyreum ſternebant viam;
ſed velut aureus Hyperion
lento greſſu in Apogæum eluctabaris Dignitatum;
Qui vix tantùm in Majoris Poloniæ
Stationarium egiſti Horizonte,
illicò Luminare Majus obſervatus.
Aliàs Cathedralis Eccleſiæ Poſnanienſis
factus PRÆLATUS,
non faſtu, ſed gravitate incedebas Majeſtuoſus,
qui ita compoſitus fuiſti ad modeſtiam,
acſi ejus compoſitum fores.
Inſertus Capitulo, Capitalem agis Gemmam,
Cujus si inquiris cenſus?
dotes ſunt intellectûs,
pretium animi candor.
ARCHIDIACONUS PSCEVENSIS
flagranti Divini amoris ardore
Veſtales in pectoribus reſuſcitâſti flammas,
ad quas congelata corda
quaſi cera à facie ignis diffluebant,
Ad irretortam Tui pupillam excæcata ſcelera,
virtutes publicum reſpexere Solem.
Ille in Te zelus,
qui triumphales Cœlo accendit ignes,
ille ſtylus
qui fines ſcindit peccatorum.
Hoc eſt Tuæ virtutis accidens,
quòd continui circa Bonum Eccleſiæ labores
Tibi abierint in naturam.
Pulchrum eſt Te videre Virum *Gravem*,
ſed

ſed nemini gravem;
ut *modeſtus* ſic & nemini vivis *moleſtus*.
Caput Tuum omnes ingeniô complectiturMuſas,
de quo invicem certabant Scientiæ,
niſi Sacra Themis litem diremiſſet.
Sapientiæ Phæbum mentis complectendo ſphærâ,
Libram an potiùs bilancem poſcebas Aſtrææ,
ut nobiliſſimis Animi Dotibus
ſi tantummodo condignè æſtimari potuerint,
ſuum quoque rependatur pretium.
Vidit in Te Ingeniorum Arbitra
ocellus mentium Diva Themis
Majeſtuoſam Gravitatem morum,
ponderavit merita,
recenſuit valorem Sapientiæ;
quantumvè de Te ſentiendum docuit,
dum Te ſibi Conſum elegerit prudentiſſimum.
OFFICIALIS GENERALIS POSNANIENSIS,
& VICARIUS in SPIRITUALIBUS
ita lites dirimis,
ſicut ipſa proTribunali ſedens Juſtitia non poſſet meliùs,
ita decidis,
quomodo nec Apollo ſua è cortina loquens deciděret.
Ipſa Majeſtate Judicis terres,
affabilitate oris ad honeſta allicis,
catenâ eloquii litigantes ſocias affectus,
pluſque Patrem miſcendo Judici
plus ipſa bonitate proficis, quàm alii fulminibûs;
& ſine tonitru
uniones comparas animorum.
Bile Te carere aſſerimus; nam ſcimus

ſi Apellis penicillus Bonum ex Optimis vellet pingere
Tu prothotypon occurreres,
Qui aut nunquam vis iraſci,
aut per naturam non potes.
Benignitate certas cum iis in quos rigorem extendis,
omnibus Jovis frontem exhibes,
etſi diſtrictum vibres manu enſem;
certè æquiſſimus JUDEX.
Publicum Regni appellamus Tribunal:
cui quàm ſecundè interfueris,
patet inde;
quòd Te Ariſtide juſtitiæ tenente bilancem
debitum æquitas habebat pondus.
Mentis acumine Gordios ſcidiſti nodos
de perplexitatis Labyrintho
ingenii filô quaſvis eduxiſti Cauſas:
Summum Tibi erat jus, ſumma innocentiæ injuria:
proteſtari potuit Petricovienſis Lublinenſiſq; Themis,
ſi à Tuæ Judiciariæ Directionis Virga
ſemper non vapulavit ſcelus.
Summa in Te eluceſcit humanitas:
Nulla vox animi concitatoris erumpit,
nullus efferbet ardor,
nihil turbati pectoris in verbis eminet,
in Quo vultus, oculi, geſtus, colloquia,
omnibus omnes gratias ſpirant.
Si quis ad Tuas cadit plantas,
ſuis in votis felicior Antæus ſurgit;
ſi ad Aram cum precibus accedit Clementiæ,
plenariam recipit indulgentiam;
ſi ſupplices porrigit libellos,

Re-

Rescriptum legit gratiæ:
Qui omnibus amabilem, nulli Te reddis difficilem.
Titum Te superasse crediderim,
ille se diem perdidisse censuit,
si quid non impertiretur amicis;
Tibi hæc vel maximè aurea fluere videntur momenta,
quibus Te Bono publico communicas,
Amicis accomodas,
indigentibus adaptas,
& cunctis Gratianum, ab ipsis enutritum Charitibus demonstras.
Miserationes Tuas deprædicant miseri,
& suum Mecænatem venerantur.
Hinc omnium ad Te convertisti corda;
Stellam Te Polarem crediderim
vim magneticam habentem affectuum,
quâ dulciter in sui amorem trahis voluntates.
ILLUSTRISSIMUS olim, & REVERENDISSSIMUS
DOMINUS, DOMINUS JOANNES
Comes in Czekarzewice
T A R Ł O,
DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ;
EPISCOPUS POSNANIENSIS
ut Pilades Orestem,
Sic Te suum elegit Achatem.
Regalibûs Dotibûs, perspicacissimô Ingeniô
Aquila JOANNES
Tibi non fulmina, sed ipsas porrigebat Gratias,
in Tuo requiescere sinu,
magis Ei placuit quàm in thalamo Jovis,
monstravit hoc palam, dùm Te
NEO-PRÆSUL ILLUSTRISSIME,
G2 Epi-

Episcopatus Posnaniensis Generalem elegit COMMISSARIUM.
Jam tunc invidiam movebas Illustrissimis Dignitatibus,
unus Honor Te eripiebat alteri,
Infulæ pro Penatibus stabant
quærentes aditum, quà ad Tuam virtutem & merita
adrepere possint.
Post fata totô non satis deflenda sæculô
Vigilantissimi Pastoris,
post translatam Illam inter Mentes Cœlestes Ecclesiæ Pupillam
conspirantibûs in Te Peraugusti Capituli votîs
pervigil Hujus Diœcesis electus Argus,
dum Episcopatûs Posnaniensis Sede Vacante
ADMINISTRATOR GENERALIS,
cum plaudenti singulorum jubilo proclamatus.
O quantum in hoc sudâsti munere!
Ipse nonnisì digne referre posses.
Mæsta fuit ex fatis sui Pastoris Diœcesis,
Tuîs eam recreabas LILIIS,
errabat, HASTA ad metam præibas beatam,
formidabat, ex COLUMNA Ejus prospiciebas Bono,
ut Te Talem viderit,
Qualem prisca optarunt sæcula.
Suffecisti Atlanti Hercules,
TARŁOWIANAM ASCIAM
Tu centimanus Briareus
in culmine integri Honoris par gestare fueras,
Qui in Maternis TRĄPCZYNSCIÆ Armis
à primis illam cunis portare didicisti.
Ut præfuisti, sic & omnium intentioni respondisti;
Authoritas Sūma, reverentia debita, cōmunisq; Tibi accesserat amor,
hinc simul coli & amari debueras.
Hanc in Te Augusti animi Magnitudinem adorant cuncti,
æstimat

æstimat
CELSISSIMUS, ac ILLUSTRISSIMUS PRINCEPS;
DUX in Klewan & Zukow
THEODORUS CZARTORYISKI,
EPISCOPUS POSNANIENSIS;
Cujus prosperitati Annorum benedicant Superi,
Cathedræ Posnaniensis PRINCIPEM,
Poloniæ SENATOREM Dignissimum,
servent quàm diutissimè;
& Ejus faustissimũ Regimen in longos protrahant dies.
Hic dilectum Patriæ Corculum,
Procerum Unio,
Regum Ephestio,
Pontificum Gemma.
Quàm primi in Ecclesia DEI Honores
expectant ad valorem avidiùs,
Tui cordis sibi elegit ærarium.
In Hujus Themistoclis affectu
Tu amantissimus triumphas Miltiades,
Cui adhæres adeo,
tanquàm pars Principalis fores.
Hic Illustrissimus Phæbus
quos in Te non diffuderit radios?
in Quo ceu in suo Parelio
totus resplendere voluit,
per Cujus cordis Crystallum
in omnes amicum diffundit lumen;
& Cui cor pridem obtulit, nihil negat.
Jam pridem Ejus Pogonia
ad Honoris Tibi præcurrebat Capitolium,

ſed diu Sol luctatur cum nubibus
gemmas claudunt conchæ
montes retinent aurum;
nunc Ejus coronantur vota,
dum ſolennẽ celeberrimæ Tuæ Cõſecrationis obit Diem.
Reddit Tibi gemmas cum Infula,
pro tot effuſis in ſua Diœceſi ſudoribus,
quibûs ultra omne pretium, Principem Ejus adornaſti Mytram,
gaudet manum Tuam Paſtorali implere Pedô,
quam Gladiô Spiritualis Juſtitiæ
à GENTILITIO quodammodo deſumptô EQUITE,
in ſuo Diœceſaneo honoraverat Conſiſtorio.
Felix non vanus Augur, Tuæ ConſecrationisDies,
quam
ILLUSTRISSIMUS, & REVERENDISSIMUS
FRANCISCUS KANIGOWSKI,
EPISCOPUS TURONENSIS, SUFFRAGANEUS VLADISLAV:
in plenitudine dierum meritiſſimus de Eccleſia Neſtor,
in innumeras Decades,
prævolante Sagitta
ſuis non parcendo Annis, Gentilitia ſignat Cruce:
Liceat ſumere ab Avibus omina
ILLUSTRISSIMI, & REVERENDISSIMI
JOSEPHI de Kiekrz **KIERSKI,**
EPISCOPI BOLINENSIS, SUFFRAGANEI,
PRÆPOSITI Eccleſiæ Cathedralis Poſnanienſis,
Gentilitius Corvus prævolat ad Culmen,
Aurum Auro, Pontificio Annulo,
ſuum Annulum addit.
Hi invitati ad Tuam Conſecrationem PRÆSULES
Aris GENTILITIA imponunt LILIA,
non jam lacte Junonis.

ſed

ſed Sacro Ceromate ungunt.
Circumſtant Te & alia Senatorio tincta murice CAPITA,
& eô affectu, quo Præſuleā Tibi apprecabātur Infulam,
in mille commoventur tripudia.
Applaudit Tibi
Infulatorum Capitum SEMINARIUM,
Magnarum Virtutum PANTHEON,
PERAUGUSTUM POSNANIENSE CAPITULUM,
gratulaturq; felicitati Suæ,
quòd de Ejus Gremio prodiiſti Præſul.
Tumeſcunt in Olympum *Chrabriani Cineres,*
quòd non ſint tam ſteriles,
ut in eis non creſcant Violæ;
aſſurgunt in Oſſam, *Boleslai Oſſa*,
quòd non ſint tam inutilia,
ut ad melioris fortunæ non valeant ſervire Sortes.
Applaudit Senatorius cum Equeſtri ORDO,
& Magni Patriæ Statores
Tuæ celeberrimæ Solennitati addendo Pompam,
invitant Te o PRÆSULUM Unio!
ut è Piſcatoris Annulo,
quàm citiùs Te Coronæ inſerant Regni:
nam Tu ANTISTES ILLUSTRISSIME,
neſcio an non à Tutellari PETRO,
hanc didiciſti artem,
quòd in profundo cordium, Principes Tibi piſcaris affectus.
Applaudit Tibi ipſe Olympus:
Sol modernus in LIBRA
fidele meritorum appretiat pondus,
Venator, Aquarius, Pocillatoris munere cupiunt fungi;

Hinc petit Dignissimum *Gnosia Corona*, Caput,
illinc *Zodiacus Leo*, vigilias agit.
Applaudit gestientis populi turba
& pro Tuis Successibus,
exvisceratos affectus Coelo viciniùs tollit.
Inter hos Solennes applausus,
Magno Nomini Honoriq; Tuo obligatissima Academica Musa
cum tessera gratulatorii sui animi, occurrit etiam,
votivum apprecationum modulatur pæana:
Sublime hoc Sacri Honoris Subsellium
fortunato conscende calle,
hic gradus præludat altioribus.
Tuum VIRIDARIUM
post Violas proferat Purpuras;
sub Præsulea Cruce nullus sit mæroris dolor:
hæc de Lubrana Pinu devinctissimus dat Responsa

APOLLO.

PROGRAMMA
JOSEPHUS
COMES de WERBNO
PAWŁOWSKI
EPISCOPUS NIOCHENSIS,
OFFICIALIS GENERALIS
Academiæ Posnaniensis
PROTECTOR
VIVAT quàm Diutissimus.

ANAGRAMMA I.

Dialectici, Rhetores, Pòëtæ, Grammatici, pennîs, corde effusi vivos zelos ponunt, omnisq; Scholasticus campus opera innovat, sis basis visis ope.

EPIGRAMMA I.

Alme fave Præsul quæso Dignissime Metris,
Quæ Tibi Lubrani fert Studiosa Cohors;
Optans quot mare fert guttas, quot sidera Cælum
Axe tenet, Tibi tot, lumina stella ferat,
Præcedunt *Dialectici* amænô tramite primi,
Post *Rhetores* plantis laurea serta ferunt,
Inde *Pòëtæ, Grammatici* cum plausibus adsunt
Effusi pennis, corde precando Tibi,
Deponunt zelos vivosquè Scholasticus omnis
Campus per plausus *innovat* hæc *opera*.
Es *Basis* Ecclesiæ Patriæ, *sis* dulce levamen
Oppe Tuis *visis* Aoniis propriis.

JOSEPHUS GLAUBICZ, de *Rokossowo*
ROKOSSOWSKI, Dapiferides Brzestensis Cujaviensis
Auditor Dialectices.

II.

MYsta Sacer Josueq; es secundus, o! physis Aaron! Cujus Virtus odore, acsi balsamum inclinat Numen, Ipsi DEO oppone Os Lechi pie, poscit fieri.

Stem-

Stemmata sêu cerno, sêu Dotes pectoris alti,
In Te *Mysta Sacer*, fulget utrumq; decus,
Candida *Cujus Virtus* vera est *physis Aaron*,
Gemmarum vernô more, modoq; nitens,
Veriùs ast dicam; Dux *es Josueq; secundus*
Astra, DEUM vincens, cordis amore pio.
Jam Pietas Tua fragrans acsi *balsamum odore*
Inclinat Numen, victima grata DEO.
O Pie Præsul Te *poscit* populus *fieri* nunc,
Oppone ipsi Te stans decus *Osq; Lechi*
Vive DEO; Patriæ, Templis, per sæcula vive:
Hæc Vates læto carmina corde fero.

MAXIMILIANUS *Skárbek* MALCZEWSKI
Judicides Calisliensis, Auditor Dialectices.

III.

UNus ines Ipse Qui abundas corde, eò es vis efficiens, eis vox Evæ, ave, Papa. Regio plaudit hosanna in Honoris Olympum septicollis Mons Mitrîs crescit.

Stirpis Honos clarumq; jubar virtusq; Parentum
Unus ines Ipse, & Gloria summa Domûs.
Nunc *v*idet in JOSEPHO Princeps Ecclesia Posna
Es quantus Mystes, quantus in auge Sacra;
Cujus *vis* & *vox* Augusto corde referta
Efficiens adeo dulce levamen *eis*.
Qui meritîs & *abundas* clarus, Stemmate dignus,
Posteritas *Evæ* jam Tibi dicit *ave*.
Mons *Mons Septicollis plaudit*, *Regio* populosa,
Papa Mitrîs donat Tempora digna Tua;
Crescit amor cunctis cùm scandis *Honoris Olympum*,
Hosanna en omnes *in* Tua vota canunt.

BARTHOLOMÆUS de *Trąpczyn* TRĄPCZYNSKI,
Tribunides *Ravensis* Auditor Dialectices.

IV.

SOl Doctorum, Gemma Sophorum, salve, ecce Parnassi Chorus ipseq; Seneca vociferat, felix dies, in annos visos vivat sospes; Ipsi Dii pii annuite boni.

Doctipotens Rector *Parnassi* assurgere quæso!
Ecce Chorus salve vociferat Seneca.
Felix o nimium felix! dicenda *dies* hæc,
Nec cultu debito concelebranda satis,
Cùm *Sol Doctorum*, præfulgida *Gemma Sophorum*
Præsuleô Titulô condecorandus adest

Quem

Quem pridem meruit virtus, ac facta redacta,
Cûi sit pro merito pulcher Honoris apex.
Hinc *sospes vivat visos* grandævus *in annos*,
Mitrati Sacrum Culmen honoris habens.
Annuite ipsi Diiq; boni votis quæ fundimus omnes
PRÆSULIS unde *Pii* sæcula longa forent.

STANISLAUS de *Goczałow* GOCZAŁKOWSKI
Camerarides Granicialis Posnaniensis,
Auditor Rhetorices.

V.

E Tiberi ad Casses Petri Præsuleus exiit Annulus Ipse, cum quo Sponsa DEI gaudia Solennissima, Officio triumphus, Posnæ honor, sic jo occinemus.

Sarmatici decus affulgens! o Gemma Trionis!
Jam modo Præsuleas suscipe, prende Mitras.
E Tiberi ad Casses Petri exiit Annulus ipse,
Præsuleus cum quo gaudia Sponsa DEI
Sumit Solennissima digna est Præsule Tanto,
In Cujus splendet pectore Musa pio;
Advenit ex Quo *Posnæ* ac *Officioq; triumphus*,
Pulcher *Honor* Lechiæ, Gloria Fama simul.
Os humeros animiq; Tui vestigia tollis,
Factis præcellis conspiciendus ades.
Ergo *Tibi* sic sic *jo* occinnemus amænum
Perpetuò Musæ dulce melos referent.

IGNATIUS PRUSSKI, Venatorides
Vschovensis, Auditor Rhetorices.

VI.

CÆli Sol, echo effare pio Nomine, Princeps Roseus Hic, Tibi nodus, Domus amæna eis. Paradisus Cælestis in Quo Agnus Mysticus pascitur.

Jam procul Alcinous cedat cum floribus almis.
Fert *COMITUM* Verbno *LILIA* pulchra *DOMUS*.
Pro legis Patriæ, pro Lechi *Nomine* florent
Candida purpureo *LILIA amæna* solo.
Sunt quibus inscriptæ Mitræ, Sacræq; Coronæ
Et quod magnus Honos Orbis habere potest.
Hæc Hæc langventi Patriæ fiunt *Paradisus*
Hostibus ast sævis *LILIA* sunt lolia:
In medio *quorum Cœlestis pascitur Agnus,*
Mysticus Hic Princeps Qui stat *eis Roseus.*

Sol Cœli echo effare! pio de Præſule geſta,
Gordius eſt *nodus*, dicere plura *Tibi.*

ADALBERTUS & ANDREAS de *Mierzewo* MIERZEWSCY, Enſiferidæ Bracłavien. Auditores Rhetorices.

VII.

HEu vivis effuſus Dux ſuppono hippen, pingoq; ociùs culmina ſcandas Poloni Orbis Decor, Eccleſiæ Viror, Majeſtatis Amor, & eò omnis ei ſitis.

Heû plauſus voces geminare Camæna per Oras!
Sarmaticas, clarè dulcia metra canens;
Surge bicollis Pindi Præſes dicito plauſus!
Exeat in cantus Turba Novenna pios!
Nomen ad Aſtra ferat ſat clarum Præſulis Almi
Fama ſonora Lechi climate currat ovans!
Qui *effuſus* non tantùm *vivis* omnibus imò
Dux alter Titus ſubueniens miſeris.
En *hippen ſuppono pingoq;* imagine dignum,
Hinc *ocius ſcandas Culmina* ſumma *PETRI*
Gloria magna manes *Decor Orbis* Phæbe *Poloni*,
Majeſtatis Amor, Eccleſiæq; Viror
Omnis Ei ſitis eſt ornari *PRÆSULE* Tanto,
Ducet *eô* felix tempora fauſta nimis.

VALENTINUS, PETRUS, CASIMIRUS de *Łukomo* ŁUKOMSCY, Vexilliferidæ Łęczyecienſes Auditores Rhetoricæ.

VIII.

PRincipio ſœpè Huic Domui Nominiq; claro Lechicus anguſtus Orbis exteros in fines amænos Mai à ſe fudit ſplendores Ei opus vivat ſoſpes.

Non ſic reſplendet Phæbus ſuper axe coruſcus,
Taliter haud luſtrat Cynthia clara Plagas;
Ut COMITUM radiato ſemper lumine fulget,
Inclyta *ſæpe Domûs* condecorata ſuîs
Eggregîis Factis Herôum ſtans undiq; clara,
Creſcit in immenſum PAWŁOWSCIANA DOMUS.
Principio anguſtus Lechicus Domûi fuit *Orbis*
Huîc Quæ ſtat *claro Nomine* req; ſimul
Extêros in fines quæ *Maj fudit amænos*
A ſe Splendores, & Decus omne ſimul
Eſt *opus* utq; *Ei* optemus *vivat* ſæcula *ſoſpes*
Ut numeret fauſtos, & ſine nube dies.

ANTONIUS de *Konari* KONARSKI Auditor Rhetorices.

IX.

HUmilis, ſvavis, docilis, amandus, primò colendus Pater Mecænas, quibusvis effuſus, ſine nævo Hic cor aperiens purum amicitiæ, protectionis vigentis ajo.

Ajo Tibi *purum Mecænas* millibûs ajo,
Es *Svavis, Docilis,* Tu *Pater* ac *Humilis*;
Primo effuſus Amandus vis Quibus atq; Colendus,
Hic ſine nævo cor *apperiens* Superûm,
Auctor *amicitiæ protectiônis* trahe ſæcla
Gemmea proſperrimus, pectore mente trahens.
Stando privatim tum publica Regula vitæ,
Preſſe *vigentis* cum concomitate *TUA*
In tanto raro rari Stallo remanentes
Diſcamus normam vivere conſimilem.
Et Noſtrum Doctori ſemper pectore ſtricto.
Optemus Greſſus ſunt quibûs aſt celeres.

ANTONIUS de *Grab* GRABSKI, Dapiferides Bracławienſis, Pòëſeos Studioſus.

X.

CAndore innocuus, Honore conſpicuus animô intaminatus, gloriâ Officii, prudens Empyreis è ſedibus miſſus, adeas plenus Poli Phænix quæſo.

Jam ceſſo Veterum monumenta referre Virorum,
Nec laudes docti temporis ore cano
O PRÆSUL Tu laus ſequeris grato reſonanda Pòëtæ;
Qui cadis in calamum exaſſe canendo meum.
Ex Te Muſa decus capiat Lubrana perenne,
Quæ laudes recitat Nomine docta Tuo.
Innocuus candore manes Qui *conſpicuus* tum
Intaminatus ades, Gloria & Officii
Es *Prudens animô* celebriſq; refectus *Honore*
Sedibus è Empyreis miſſus ades celebris,
Ergo *adeas plenus* longævus ſæcula *Phænix*
Splendeſcas Sidus, lumine *quæſo Poli.*

ANDREAS *Łodziá à Szołdry* SZOŁDRSKI, Pocillatorides Vſchovenſis Pòëſeos Studioſus.

XI.

DEI Portio, Eccleſiæ Unio, Patriæ deliciæ Muſis, amabile munus, appropinquo affinis, honeſtus vocatus, Hic en ſi ſi priùs.

Non mihi demonſtret Veteres jam priſca vetuſtas,
Illorum factis, quæ celebrata fuit.

Non revocet Numas, Julios, Titosq; benignos,
Divos Augustos, non mihi quæso canat.
Est ævô præsenti PRÆSUL, Gloria summa,
PAWŁOWSKI *Musis*, *deliciæ Patriæ*
Ecclesiæ Unio, Quô Quô non præstantior alter,
Portio grata *DEI*, *Munus amabile* sat
En virtuti *affinis honestus* sorte *vocatus*
Excoluit, tantos mente solerte Viros
Appropinquo priùs si Te coluisse liceret
Qui fulges clarus Cynthia pura velut.

CAJETANUS de *Grab* GRABSKI, Dapiferides Bracławiesis, Pöëseos Studiosus.

XII.

JO, interpres sum, quia brevi Celsissimus fies, meritîs Gravis, omine vadens, Herus cie horas planicie acta, connoto pectus, i Flos ad Papæ pondus.

Jo jam Musæ resonant per culmina Pindi,
Exercent plausus, dulcia metra canit
Præses Parnassi, residens in vertice summo,
Dulciter exclamant Pieridumq; chori,
Princeps Pegasidum cum voce Minerva triumphat
Applaudit metrîs Pallas amica Tibi.
Qui *Gravis es meritîs fies* non *omine* vanô
En *Celsissimus* Is tempore nempe *brevi*.
Interpres quia sum cedes *Flos* pectus ad almum,
Papæ Pontificis, *connoto pondus*, eris.
I vadens Herus atq; *cie horas* faustus in omnes,
Acta planicie Præsulei pretii.

JOSEPHUS Leszczyc de *Pierzchno* KOSZUTSKI, Subjudicides Vschovensis, Pöëseos Studiosus.

XIII

ARgumenta, modi, forma sunt per impossibile aliæ, nisi defectus vincire dotes Tuas posse quôvis pensô. Hinc holocausta scias propitia necesse.

Argumenta, *modi*, *sunt* nobis optima *forma*,
Ad vivas *Dotes* concelebrando *Tuas*
Non *aliæ*, *nisi* sunt simul *ast impossibile* ast per
Defectus quôvis gratificando Tibi
Pensô posse Stylô *vincire* aurô, *hinc holocausta*
Propitia ex nobis perpetuóq; *scias*
Ipse *necesse* fovens humiles non spernere cantus,
Consimilis Superis voce fluente frui.

Hinc

Hinc Te tam Gratum tam Magnum culmine servent,
Pontificem semper sidera celsa Poli
In tractu vitæ, fortunæ, per decus orbis,
Mentibus Aoniis vota litando damus.

FRANCISCUS MĘZYNSKI, Notarides
Vałecensis, Pöéseos Studiosus.

XIV.

O Dos! Equestris Ordo in Te Præsul amabilis in æstu pretium, Clerus consvetum nisum, exhausti aufugia, confisi suas Siones, accipe prope Diis pæana hunc.

Fausta dies fuerat Tibi, faustior omnibus inde,
Clerus consvetum, quòd *pretium* teneat.
In Te Ordo Equestris, Dos Præsul amabilis æstu in,
Aufugia exhausti, non remorante manu.
Confisiq; suas frontes vexilla *Siones*,
Justum *pæana hunc* accipe *proppe Diis*.
Munere Magnificô tantô Tu ditior esto,
Parte beatâ omni præveniente Polo.
Sit Tibi Patria, sola Polonia non memor inde,
Oris & Plagis quod Pater omne Tuis.
Præstas, ostendis, refoves, non excipis & Nos,
Auctum Te Titulis concomitentur opes.

CASIMIRUS *Nałęcz* **RACZYNSKI, Palatinides**
Posnaniensis Grammaticæ Studiosus.

XV.

JO, Areopagus Aristides, Consus, centoculus lynx es, efficiens omni justa, linquas, promoveas, provideas habens hoc potissimum sæpe pii DEI.

I *Jo* campos per Lechi, climata plaude,
Emineant in Te, Nomina Præsul Ea.
En *Areopagus es Consus centoculus* es *lynx*
Vivis *Aristides*, ac omnibus *efficiens*
Justa, potissimum habens hoc sæpe Deiq; pii sic,
Quod pauci nulli sorte ferente tenent.
Non est calcar, nec stimulus Tibi dandus ad instans,
Promoveas, linqvas, robore facta Tuo.
Provideas minus adstans exploranda voluntas,
Exæquas mentem Partibus alma ferens.
Intuitum tandem votorum supperet Astrum,
Constantem sortem consolidetq; Tuam.

JOANNES NEPOMUCENUS & FRANCISCUS SWIĘCICCI,
Capitaneidæ Korycienses Grammaticæ Studiosi.

BEnene? Dii emineas afflue culmine Honoris, Qui propitios DEOS arâ, cogis, apud Te Vaticanus Hæres intimus piissimus oculis, ad opus pacis evoco.

Non vos o *Dii* sollicito *benene?* voluistis,
Nobis Antistes PAWŁOVIUS veniat.
Rumpimus inde vias, arteria cuncta sonora;
Omnes repleti pectore mente simul.
*Propitios*què *Deos Qui arâ cogis* veneramur,
Te Mystam Celsum suspiriô validum.
Te veneram · *apud* Quem sit *Vaticanus* amor sit,
Intimus est *Hæres* Gloria fama probat.
Est *oculis*què *piissimus* omnisq; *Evoco* Musas,
Hoc *opus ad* nostrum firma precemur Ei.
Afflue pertantum Titulorum *culmine* PRÆSUL,
Emineas cunctis omnibûs opto modis.

FELICIANUS & LAURENTIUS COMITES à *Rozdrażewo* ROZDRAZEWSCY
Grammaticæ Studiosi.

T
TAT
TAVAT
TAVIVAT
TAVI V IVAT
TAVIVAT
TAVAT
TAT
T